



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

8. De gradibus charitatis & medijs eam assequendi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III Quam eminenter has perfectæ dilectionis condiciones habuerit charitas B. Virginis. 1. Quod eundem frequentatis tota vita actibus ex tota latitudine habitus eliciris, quotidie intenderit. 3. quod remotis amoris proprii, aliisque impedimentis, perfectæ charitatis immunis fuerit. Huius proinde perfectam charitatem admirare & æmulare.

## VIII.

## De gradibus charitatis, &amp; medijs eam consequendi.

I. **E**Xpende, qui sint gradus charitatis, quorum præcipui sunt hi triplices; *Quoad Extensionem ad obiecta, Intensionem graduum, & Intensionem motuum.* Quorum semper duo priores imperfecti, tertius perfectus. Ratione extensionis ad obiecta, 1. gradus est amare Deum, & quæ Deus amat, super omnia appetiariuè in ijs ad quæ obligamur sub peccato mortali. 2. in ijs, ad quæ astringimur sub culpa veniali. 3. in omnibus, quæ Deo placent, quamuis nulla omnino intercedat obligatio. Ratione *Intensionis* graduum primus est facile amare Deum, & quicquid Deus amat,

amat, tempore consolationis, pacis & prosperitatis, non autem tempore desolationis, tentationis, tribulationis.

2. Amare Deum etiam ingruentibus desolationum, tentationum, aduersitatum procellis, non tamen absq; graui difficultate & lucta. 3. Amare in super tam in summa aduersitate, quàm in summa prosperitate constanter cum alacritate & gaudio. Ratione *Intentionis* 1. est, amare Deum iustum & potentem timore suppliciorum. 2. Amare eum vt benignum, misericordem, & liberalem spe præmiorum. 3. Amare eundem, vt infinitè bonum, perfectum, & amabilem in se propter seipsum. Vis ergo ad supremum charitatis conniti fastigium, conare Deum & omnia, quæ Deo placent amare intensè, super omnia possibili perfectione, quoad intellectum, affectum, executionem, cum alacritate & gaudio, gratis propter seipsum. Desiderium iuxta hunc supremum gradum perfectè Deum diligendi, hic prolixius exercendum.

II. Quæ media sint ad hunc gradum pertingendi, Quorum 1. sit, vehemens, efficax, & constans desiderium in hac perfecta dilectione Dei quotidie.

D d d 7

die

die proficiendi, quod in meditationibus subinde vehementius inflammandum, crebrisque per diem suspirijs renouandum. 2. Crebra & affectuosa gratiæ ad continuum charitatis incrementum acquirendum necessariæ imploratio. 3. Seria & deuota actuum amoris Dei, tam internorum quam externorum frequentatio. Quam hæc media singula sunt suauia & efficacia, supremū huius virtutis cacumen conscendendi? Quam Deo gratus, nobisque meritorius conatus in his medijs adhibendis impensus? Desiderium hoc propositumque excitandum his medijs strenuè vtendi.

III. Quanto ardore B. Virgo alijque Sancti ad hunc supremum charitatis apicem aspirarint, quanto studio contenderint, quanta sollicitudine & constantia prædicta media tota vita vsurparint, & quam eximio charitatis, meriti, gratiæ, gloriæ incremento. Feruor imitandi.

**IX.** *De Fundamentis perfecti amoris Dei.*

I. **E**Xpende primum ac præcipuum perfectè Deum super omnia diligendi fundamentum, quod est: *SUMMA*